



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Ostenditur impostura iniquissima Antonij Egani de quæstu simoniaco
Ecclesiæ Romanæ per Apostolicos Missionarios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

Sectarius. Rex ad hunc conversus , hic, inquit, disputatur , an Catholici doceant Fornicatiō nem mortalem esse culpam , an venialem. Ille confessim, ac si de re notissima sententiam pronunciarer, Venialem omnino (Rex serenissime) Venialem culpam existimant. En quales hi sunt Seniores populi , qui Ecclesiam Romanam , ut innocentem Susannam, suis calumniis & convitiis opprimunt. Hi sunt idonei Judices controversiarum fidei, hæc oracula fallere & falli neficia, ex quorum ore populus discernat quid Apostoli, quid Patres antiqui, quid præsca Ecclesia docuerit , qui in doctrina præsenti & ante oculos posita tam malignè cæcutiunt.

Ostenditur Impostura iniquissima ANTONII EGANI
de quæstu Simoniaco Ecclesie Romana per
Apostolicos Missionarios.

P Rodiuit non ita pridem pestifer Libellus Antonii Egani, pudet dicere, natione Hiberni, qui desertâ avitâ fide, religiosâ professione , & suâ patriâ, in Angliam profugit , nec enim Hiberniæ tellus animal tam Venenatum in suo gremio sustinere potuit. Vulgavit ille contra Apostolicos Missionarios calumniam mirâ arte confictam , de quæstu sacrilego ac Simoniaco , quo singula flagitia venalia exponunt , taxato etiam pretio quod ex eorum absolutione aut dispensatione corrogare debent: tanta folet esse tranfugis calumniandi libido. Nolo ego (quod mihi promptum foret) rem hanc pluribus persequi, sed tantum paucis, & absque ullius offensione calumniam adeo pernicioſam dissipare, ne perget incautos in errorem inducere.

Atque imprimis quæro, Egane, quibus argumentis,

mentis, tabulis, ac testibus hanc accusationem gravissimam in publica orbis licee confirmas? Hoc ut præstes omnium gentium leges, & ipsius Angliæ statuta requirunt, quæ jubent Accusatorem legitimâ criminis probatione destitutum Impostoris infame nomen ac pænam subire. Hic verò, in accusatione gravissima, nihil aliud Eganus nisi suam unius fidem, eamque levissimam, in causæ suæ testimonium adducit. Cum tamen Ius omne tam civile, quam Canonicum, & ipsum Actorem, & inimicum, & malevolum, & infamem, & Apostatam à testium numero penitus excludat. Vide si quid Iuris delibaſti C. *Cum oporteat de Accus.* Et l. *Iusta. ff. de manu vin.* Et in C. *Alieni erroris.* 3.q.4.

Ex quibus manifestè conficio tantum abesse ut tuo testimonio suscepτæ accusationi ullam veritatis umbram concilie, ut potius teipsum execrandæ calumniæ authorem, & impostorum pænis obnoxium admittere cogaris. Neque verò arbitror ipsa Acatholicorum tribunalia adeo esse æQUITATI inimica, ut audiendos censeant fugitivos in suos Dominos crimina procudentes, nullo alio teste, nullis tabulis, nullâ veri specie comprobata.

Secundò, interrogandus mihi est Eganus, quo pacto fieri possit ut Missionarij Apostolici impune, & ex præscripto Cancellarie Romanae, ut ipse singit, quæstum Simoniacum ubique exerceant, quem ipsa Ecclesia, cum Pontifice Romano, in æcumenicis Conciliis congregata, severissimis semper legibus damnat, ac pænis infectatur? Legantur censuræ ac pænæ gravissimæ contra Simoniacos ab Ecclesia Romana constitutæ in Concilio Romano primo sub Alexandro II. Pontifice. Extant contra eosdem decreta

decreta Concilij Placentini, ubi traduntur fuisse quatuor millia Clericorum tempore Urbani II. Eadem fuit mens & sententia Patribus ex toto orbe Christiano congregatis in Concilio generali Lateranensi VI. sub Innocentio III. cap. 36. Nec minor nostro ævo cura incessit omnes Ecclesiæ Præfules in Tridentina Synodo collectos, ne quem è suo corpore, aut aliud Ecclesiæ membrum execranda Simoniacæ pestis afflaret, contra quam firmissimos legum obices opponit seff. 21. in decreto de Reformatione cap. 1.

His accedunt gravissima Pontificum diplomata, quibus quæstui Simoniaco omnibus in Ecclesiæ aditus severissimè præcluditur. Et quidem Eugenius IV. præcedentium Pontificum ac Conciliorum vestigiis insistens in suo diplomate, post multa in hanc rem decreta, his verbis concludit, Statuentes præterea quod universi & singuli, etiam præmissa (quâvis) dignitate prædicti; qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commiserint, aut ut illa fiat Mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam Excommunicationis incurvant &c. Et ne harum legum vigor lapsu temporis vel in minimo laxaretur, proximo saeculo disertè innovantur à Leone X. in sua Constitutione quæ incipit *Superna*. §. 37. Constitutiones, inquit, per Antecessores nostros, etiam in Sacris Conciliis contra hujusmodi Simoniacos editas innovamus, easque inviolabili servari præcipimus, ac pœnas in eis contentas pro expressis & insertis haberi, & delinquentes, etiam auctoritate nostrâ, affici volumus. Atque has Constitutiones perpetuo valituras & in quovis Ecclesiæ tribunal severissimè observandas, non minori semper curâ alij, atque alij Pontifices instaurant.

Quis

Quis ergo , nisi fatuus , uni credat Egano fugitivo, Apostatae , & Ecclesiæ Romanæ hosti jurato, contra hæc quæ adduxi testimonia , ac publica Ecclesiæ Iura , ac tribunalia toto orbe notissima.

Hinc ego vos, Academicci Oxonienses, qui Egani libello testimonium apposuistis , & omnes cordatos monitos velim , ut omnia sedulò circumspiciatis anteaquam aurem hujusmodi Transfugis,multò minus fidem præbeatis , qui prius honestatem omnem quam fidem exuerunt.

Venient illi ad vos in vestimentis ovium,intus autem sunt lupi rapaces,qui non dubitant quāvis calumniā Ecclesiæ Romanæ famam lacerare , ut hac infami arte vestrā gratiam ac patrocinium promereantur. Latet,mihi credite , latet intus fraudulentus Sinon, qui multa de Danias mentitur,paratus interea , si res ferat , vestrā quoque Troiam incendere , eoque se proripere quo libido, quo lucrum,quo novus furor impulerit. Tales, inquit Erasmus ad Unibaldum,tantum quærunt censum , & uxorem , cetera præstat illis Evangelium, hoc est,potestatem vivendi ut voluut. Neque hic de genio irrequieto quo Transfugæ illi agitantur nostri tantum temporis sensus aut censura est. Innatam illis levitatem ac depravatam indolem vivis coloribus depinxerunt nobis primi Ecclesiæ Patres , ne malis artibus incautos in fraudem inducerent. Non existimes, ait S.Cyprianus de unit. Ecclesiæ, bonos de Ecclesia posse discedere ; triticum non rapit ventus, nec arborem solidâ radice fundatam procella subvertit,inanes paleæ tempestate jactantur , invalidæ arbores turbinis incurssione evertuntur. In eandem sententiam notat Tertullia-

tullianus per hujusmodi Ecclesiæ spumas, ac vi-
lia purgamenta , sincerum illius corpus magis
purum, integrumque conservari. Avolent quan-
tum volent paleæ levis fidei quocunque afflatus
tentationum, eò purior massa frumenti in hor-
reo Domini reponetur. Hæc omnia in levissimis
Egani moribus quam apertè eluceant quisquis
observare voluerit, facile concludet, nihil aliud
ad hujusmodi Protheo, quām malas artes, frau-
des, ac calumnias, expectandum fuisse.

Contra fatuam Conclusionem ANDREÆ SALL pro
Secta Protestantium suscipienda.

A sserit ille, in sua Recantatione, post diutur-
num studium, ac considerationem Ecclesiæ
Romanæ, & Lutheranæ, se tandem *Conclusisse*,
Fidem Ecclesiæ Anglicanæ Tutiorem & secu-
riorem esse pro sua salute, quām viam Ecclesiæ
Romanæ.

Itane tu concludis, infelix Dialectice ? Expen-
disti igitur , te fatente , pro veritate Ecclesiæ
Romanæ totius pænè orbis Christiani commu-
ne testimonium , per mille quingentos annos à
Christo usque ad Lutherum , omnium populo-
rum, omniumque gentium consensu receptum.
Adeo ut toto illo sæculorum decursu , præter
Romanam, nullam omnino possis designare Ec-
clesiam palam cognitam , de qua potuerit veri-
ficari perpetuus illi symboli articulus , Credo in
Sanctam Ecclesiam Catholicam. Nulla ergo in
orbe terrarum per mille quingentos annos pu-
blicè nota fuit Catholica, id est universalis Chri-
sti Ecclesia, vel sola debuit esse Romana. Et tu
ex hac præmissa concludis , rejectâ Religione
Catholicâ ac Romanâ , securiorem tuæ saluti
fore